...sius, Alexander et Georgius.

Facti species et brevis recapitulatio rationum et indubitatorum iurium pro serenis. Palatinis Electorali et Sultzbaciensi Domibus contra Joannem Casim., Alex. et Georg. Sapieha etc.

# FACTI SPECIES
## Et Brevis Recapitulatio
## RATIONUM
### Et Indubitatorum Jurium
## Pro Sereniſſimis Palatinis, Electorali & Sultzbacienſi, Domibus.
## CONTRA
### Jllmōs: Ioannem Caſimirum Palatinum Vilnenſem Patrem, Alexandrum & Georgium Fratres Sapieha, M. D L. reſpectivè Máreſchallum & Dápiferum, nec non Ludovicum Conſtantinum Pociey M. D. L. Exercitûs Ducem.
## MILITANTIUM.



(1718)

SEreniſſima Princeps Ludovica Carolina, Celſiſſimi quondam Principis Boguſlai Ducis de Radziwił Unica Filia & Hæres, Sereńmi: Marchionis Brandeburgenſis Vidua, nupſit Serńmo: Principi Carolo Philippo Comiti Palatino Rheni moderno Electori, invitis multis conſangvineis, & invito Serńmo ac Potentiſſimo tunc Regnante Poloniæ Rege Ioanne III. qui Eam alij Principi deſtinaverant, cui jam erat deſponſata: Propter qvod indignati Conſangvinei, & Serńmus Rex conati fuerunt, (ſed fruſtra) Leges & Rempublicam contra Eam concitare, & devolutionem ſuorum Paternorum Bonorum, Actionum & Succeſſionum in Reipublicæ Poloniæ ditione exiſtentium impetrare.

A dicto matrimonio nata fuit Anno 1693. die 17. Martij Unica Filia, videlicet Serńma Princeps Electorális Palatina Eliſabetha Auguſta, quam Mater Serńma paucos poſt annos, videlicet Anno, 1695. moriendo impuberem reliquit ſub Serńmi Patris poteſtate.

Ultrà Serńmum Patrem habebat & adhuc habet Serńma tunc Pupilla Princeps varios Patruos, Amitas, Amitinos & alios conſan-

guineos, ex parte Patris, uti sunt Serńmus Elector Trevirensis, & Serńmus: Princeps Episcopus Augustæ Vindelicorum Patrui, Serńma Romanorum Imperatrix Vidua, Serńma Hispaniarum Regina Vidua, & Serma Parmæ Dux, nec non Sermi Regii Poloniæ Principis Iacobi Conjunx Amitæ, Serńmus: ac Potentissimus Romanorum Imperator, Serńmus Lusitaniæ Rex, & Serńmi Principis Iacobi Prolis Amitini, innumerique alij longinquiores Consanguinei, uti Serńmus Galliæ Rex, Serńmus Aurelatensis Dux Galliæ Regens, & Serenissima Palatina Sultzbaciensis Domus. Ex parte Matris verò habebat & habet consanguineos tantum in 4to. & 5to. Canonico gradu constitutos, inter qvos non enumeratur Illmus Palatinus Vilnensis, qui tantum in 3tio. Affinitatis, in nullo autem Consangvinitatis gradu conjunctus est; Illmi Ejus Filij verò in 4to. Canonico & 8vo. Civili consangvinei sunt; Illmus Poćiey autem in planè nullo, nec Consanguinitatis, nec Affinitatis ( saltem Sernmæ Principi cognito ) gradu annexus est.

Statim post habitam notitiam mortis Serńmæ Principis Ludovicæ Carolinæ Illmũs Palatinus Vilnensis tunc temporis Dux Exercituum M. D. L. inequitavit & occupavit unâ cum Illmis Filijs suis Universam Hæreditatem, piè defunctæ Principis, & quidem ab initio protestando, & Serńmo Principi Carolo promittendo, se per talem occupationem nihil præjudiciosum legitimo Serenissimæ Principis Elisabethæ Augustæ hæreditario, aut Serńmi Patris naturali Tutorio Iuri prætendere, aut patrare, sed potius illa jura ab aliorum usurpationibus defendere velle, quam declarationem & promissionem Illmũs Palatinus Vilnensis, Ejusque Illmi Filij per repetita publica Instrumenta sæpe confirmaverunt.

Sed effectus fuerunt his protestationibus & promissionibus omninò contrarij, nam paulo post occupata omnia Bona Illmus Palatinus Vilnensis declaravit Serńmum Principem Carolum, esse tantùm Tutorem personæ Serńmæ Principis Filiæ suæ; Tutelam vero Bonorum maternorum ad se spectare. Et sub prætextu hujus usurpatæ Tutelæ Bonorum, ac exinde prætensi Decimi Grossi Tutorij convertebantur reditus dictorum Bonorum in proprios usus Illmæ Sapiehanæ Domus, quæ & Boná & subditos per intollerabiles angarias, ac per varias alienationes, aliasque pressuras ita desolabat, ut Serńmus Princeps Carolus Parens & Legitimus naturalis Tutor ( pro redimenda vexa, ac evitando ultimo Bonorum Filiæ Suæ exterminio ) coactus fuerit Illrmo Palatino Vilnensi quadraginta millia florenorum Polonicalium pro singulis annis usque ad Majorennitatem Serńmæ Pupillæ appromittere, Eique po securitate solutionis huius summæ appromissæ Ducatum Dubinensem & Comitatus Zabludoviensem & Bielicensem in hypothecam tradere; hoc pacto verò, quodsi illorum reditus superarent summam stipulatam, tunc quod superest, reddi deberet Serńmæ Principi, & econtra, si non sufficerent dicti red itus ad efficiendam illam summam, tali casu defectus suppleri deb eret ex thesauro Slucensi.

Non

Non diu autem contenti fuerunt Illmi; Sapiehæ tali ſtipulatâ ſummâ & in manibus hábitâ tam importanti hypotheca, nam pauló poſt nempe annis. 1706. 1707. 1708. 1709. uti & 1716. inequitaverunt & occupaverunt denuò reiteratis vicibus varia alia imò & fermè omnia Bona Sereniſſimæ Principis, idque ſub prætextu, quod reditus Dubinenſes Zabludovienſes & Bielicenſes non ſuffecerint ad efficiendam ſummam ſtipulatam, & quod theſaurus Slucenſis non præſtiterit ſolutionem ſummæ reſtantis.

Injuſtitia talis novi prætextûs, ſicuti & iſtarum reiteratarum inequitationũ & occupationũ patet eò magis ex eo quod Illuſtriſſimi Sapiehæ Pater & Filij expoſt per publicum Inſtrumentum coram teſtibus Anno. 1697. faſſi ſunt, quod reditus Dubinenſes, Zabludovienſes & Bielicenſes ſuperaverint ante ſtipulatam ſummam Qvadraginta mille florenorum, & ex eo, quod promiſerint ſe reliqua occupata Bona Serńmæ Principi ſtatim reſtituros, nec ultra talis hypothecæ reditus ſe aliquid plus petituros.

His durantibus violentiis & opreſſionibus conſentiit Serńmus Princeps Cárolus Serńmæ Principis Filiæ ſuæ nomine in venditionem omnium Bonorum & Actionum in Polonia & Lithvania ſitorum, ſtipulatumque fuit ab eo ex una & Illmo Palatino Vilnenſi ac Ejus Filijs Filiaque ex altera parte per publicum Venditionis & Emptionis Inſtrumentum Anno. 1700. ab utraq; parte coràm teſtibus Varſaviæ ſubſcriptum, quod Illmi Pater & Filij Sapiehæ ſummam 650. Imperialium in ſpecie, vel eorum valorem intra unius Anni ſpatium, & ſpecificè die 24. Iunii Anni 1701. pro pretio Emptionis dictorum Bonorum & actionum Serńmæ Principi ſolvere, interea verò omnia occupata Bona ( Dubinenſibus & Zabludovienſibus exceptis ) reſtituere, Serńmus Princeps Carolus autem nomine Serńmæ ſuæ Principis Filiæ traditionem omnium reſpectivè venditorum & Emptorum Bonorum Actionumve ſtatim poſt enumeratam, & acceptam pretij empti, & venditi pecuniam juridicè & ſolenniter efficere deberent.

Tempus ad ſolutionem præfixum, elapſum fuit, abſque ulla ex parte Illmorum Sapieharum præſtita enumeratione pecuniæ, aut adimpletione Contractûs, & abſque ullâ oſtenſâ adimplendi voluntate.

Quapropter a Serńmo Principe Carolo Ejuſque Serńma Filia debito tempore manifeſtatum, & proteſtatum fuit coram Officio Caſtrenſi Vielunenſi de omnibus Serńmæ Principi competentibus Juribus, actionibus & beneficijs contra adverſarias Contraventiones, violentias, oppreſſiones & uſurpationes &c. quibus non obſtantibus.

Inequitaverunt Illmi Sapiehæ iterum iterumque univerſa Dominia & Bona Serńmæ Principis ( ſolis, quæ ſe defendere poterant, fortalitijs exceptis ) illaque occupata tenuerunt per aliqvot annorum ſpatium uſque ad revolutionem Olkinicenſem.

Ipſa Civitas Slucenſis nec fuit qvamvis præſidiata, ab Eorum invaſionibus immunis, cum Illmus nunc defunctus M. D. L. Stabuli

Præfectus Sapieha per Stratagema se cum aliqvibus Legionibus in illam intruserit, occupatamque eam detinuerit usque ad ejus mortem in dicta revolutione eventam.

Civitas & Arx Birzensis fuerunt ante dictam revolutionem unà cum reliquis omnibus Neoburgicis Bonis ex occasione Illmorum Sapieharum occupatæ, & ( quia credebantur ad illos spectare ) subjectæ fuerunt integræ devastationi.

Subsecuto expost bello Svetico & redeunte inimico ex Saxonia, redierunt similiter & Illmi Sápiehæ in Lithvanico Neoburgica Bona, quæ Bona illi denuò ( nempe Anno. 1707. ) inequitaverunt & occupaverunt, videlicet Illmus Mareschallus Ducatum Birżensem, & Illmus Dapifer Comitatus Zábludoviensem, Bielicensem & Kieydanensem cum aliis adiacentibus, contra quod Illmus Palatinus Eorum Pater aliquas Universales Literas ad OEconomos, Administratores, reliquosque Officiales opposuit, jubendo, ut illis aliisque vim inferentibus se opponerent, sub pæna colli, sed non propter hoc cessaverunt tales violentiæ, quamdiu officium Ducis Exercitûs M. D. L. in Illma Sapiehana Domo fuit.

Attactis jam a Serma Principe Anno 1708 die 17. Martij Majorennitatis annis facta fuit Illmis Sapiehis de eo notificatio, & sperabatur, quod Illi omnia Ejus Bona statim deoccupaturi essent, sed vana fuit hæc spes in Legibus & Conuentionibus reposita, nam Illmi Sapiehæ non tantùm noluerunt restituere quæ occupata jam tenebant, sed etiam inequitaverunt expost alia, quæ ánte occupata non tenebant.

Post translatum Officium Ducis Exercitûs in Illmum Poćiey, conclusit iste cum Illmis Sapiehis Contractum Divisionis inter se omnium Dominiorum & Bonorum Lithvanico Polonicorum ad Sermam Principem spectantium, quæ ad se trahere Illi intendebant.

Et pro eo consequendo præoccupaverunt Arcem Slucensem, cum Illmus Dux minatus fuerit Officiales, se totum Lithvanicum Exercitum in Neoburgica Bona locaturum, nisi præsidium ab Eo in arcem reciperent.

Quo præsidio contra Leges & Consvetudines Patriæ in arcem intruso petiit Illmus Poćiey sæpè dicta Bona sibi divendi, nullam offerendo paratam pecuniam.

Interea alij duo Illmi Sapiehæ videlicet Capitanei Merecensis & Vilkoviensis erexerunt se Gubernatores dictæ Arcis, Civitatis & Ducatûs sub prætextu Tutelæ, quam Illmus Dapifer adhuc prætendebat, & extorserunt victum pro se & assistentium equorumq; suorum magna Copia.

Extorsit antea Illmus Poćiey pro se sub titulo pro Scipione per sex Annorum circiter spatium Summam Centum mille florenorum quot annis, & Commissarij ab Eo ad talem exactionem deputati extorserunt etiam ad aliquot decem florenorum millia singulis annis.

Neque iste fuit finis tot violentiarum, nam Illmus Dapifer Sapieha irrupit iterum in Comitatum Zabludoviensem, quem occupatum deti-

detinuit usque post conclusum Varsaviensis Pacificationis Tractatum. Pacificatione Reipublicæ feliciter obtenta sancita fuit illa Constitutio, per qvam legitima possessio & dispositio Bonorum Lithvanicorum Sermæ Principi confirmata fuit.

Nupsit post hanc Constitutionem Serma Princeps Sernmo Principi Carolo Iosepho Comiti Palatino Rheni Hæreditario Duci de Sultzbach, ac præsumptivo Hæredi dignitatis & statuum Electoralium Palatinorum die 2da Maij Anno 1717. Ac pro his nuptiis intervenerunt Consensus Serenissimi Electoris Palatini Parentis, Sernmi Electoris Trevirensis Patrui, Sernmi Regnantis Sultzbaciæ Ducis Sponsæ Consangvinei & Sponsi Patris, Sernmæ Imperatricis Eleonoræ Amitæ, Sermi ac Potentissimi Romanorum Imperatoris Amitini, & Serenissimi ac Potentissimi Poloniæ Regis uti Reipublicæ Capitis & supremi Tutoris.

Vix perventâ his de nuptiis ad Illmos Sapiehas notitiá, formaverunt isti unâ cum Illmo Pociey Consilium, de novis prætextibus pro continuandis suis pristinis violentiis & spoliis. Et cum præclusa jam fuisset via, controvertendæ legitimæ possessionis & dispositionis Bonorum Sernmæ Principis, finxerunt natum fuisse novum Casum scilicet Matrimonij Ejus cum Exotico ( uti Illi dicunt ) non Indigena Principe, & prævalendo se occasione, qnod Illma Sapiehana Domus tunc temporis in Lithvanico Tribunali præsidebat, protestati fuerunt verbaliter repetitis vicibus coram dicto Tribunali, Sermam Principem omnes suas Activitates in Republica per tale matrimonium amisisse, & sub hoc frivolo prætextu impediverunt contra Iura naturæ, ne OEconomi reliqui Officiales Neoburgici in ulla Causa coràm dicto Tribunali agerent, imò nec provocantibus Partibus responderent. Ediderunt insuper qvandam scriptam Manifestationem, quæ autem ab eis nunc negatur.

Sed negare non poterunt realem & solennem illam protestationem, qvam Ipsi per novissimam illam inequitationem in Comitatum Zabludoviensem ab Illmo Dapifero unâ cum Leszyński & circiter quinquaginta eqvitibus nocturno tempore patratam fecerunt, ubi contra tenorem sæpedictæ Constitutionis Administrator cum minis Combustionis domûs & trucidationis personæ expulsus, ac messis jam matura ablata ( cum hac declaratione ) fuit, quod Bona Neoburgica jam non ad Sermam Principem, sed ad se spectent.

Duodecim Milliones, Sexcenta & Tria Millia Centum Octuaginta sex florenorum efficit circiter summa pecuniarum ab Illmis Sapieha & Pociey Eorumque adhærentibus, vel Eorum causa durantibus supra enarratis dispositionibus extortarum. Ultrà qvam etiam calculandæ sunt variæ ingentes summæ ab Illmis Sapiehis ex Bonis ab Illis hypothecatis acceptæ; qvorum potior pars Bonorum adhuc hodierna die in externis manibus hypothecata remanet. Et calculandæ similiter restant innumeræ aliæ ab Ipsis vel Eorum causâ illatæ, pa-

tratæ, & respectivè passæ extorsiones, demolitiones Arcium & fortalitiorum ac Civitatum, devastationes Sylvarum & agrorum, dispersiones subditorum, ruinæ ædificiorum, transportationes & divenditiones tormentorum, plurimæque aliæ consimiles damnificationes; præcipuè verò desolatio integri Ducatus Dubinki aliorumque Variorum Bonorum, in qvibus nec unus subditus neque reliquiæ habitantium ampliùs reperiuntur.

A desuper enarrata Facti specie nemo erit, qui non sentiat & concludat plenariam & omnimodam restitutionem atque reparationem omnium spoliorum & damnorum, sicut & omnem manutentionem in legitima, per expressam Constitutionem jam plusquàm superabundanter confirmata possessione & libera dispositione suorum Bonorum Sermæ Principi Ejusque naturalibus Hæredibus deberi. Nec ullo modo attendendum esse adversarium frivolum subterfugium, scilicet quod Serma Princeps absque Sapiehano & Poćieiano consensu Exotico & non Indigenæ nubendo amissionem suorum Bonorum (*Vigore statuti M. D. L. Cap: 5. tit: de Virginibus, quæ post mortem Parentum sine voluntate frâtrum, Patruorum aut Tutorum nubent. Et dicti statuti Cap: 5. art: 12. de Viduis, si quæ rustícano homini & non nobili nuberet.*) patiatur. Nam lex illa Cap. 5ti. art: oni. de Virgine sine Patre & matre relicta loquitur, quæ Extraneo Ius Indigenatûs non habenti contra voluntatem fratrum aut Patruorum aut Avunculorum aut aliorum Consangvineorum aut Tutorum nubit; sed nostra Princeps non est sine Patre relicta, Ergo hæc lex non tangit Eam. Et iterùm nostra Princeps non nupsit contra voluntatem Patruorum, Avunculorum, proximiorum Consangvineorum & Tutorum, cum ab his omnibus habuerit consensum, ergo neq; ex hoc capite talis lex applicari potest ad nostrum Casum. Non obstat, quod Sermi, Pater, Patrui, Amitini & proximiores Consangvinei reputentur pro non Indigenis, nam etiamsi realiter non essent Indigenæ ( uti de aliquibus datur sed non conceditur ) non amitterent nihilominus sua respectiva Iura naturalia Patriæ potestatis & Tutelæ, cum non solùm nulla detur lex, quæ Eos ob defectum Indigenatûs à talibus Juribus Tutelæ & Patriæ potestatis excludat, quæ absque iniquitate nemini ( non interveniendo crimine ob quod prærogativarum à natura datarum indignus reddatur ) auferri possunt; sed potiùs reperiantur leges expressæ, præcipuè *Statuto M. D. L. Cap: 6. Art: 3. tit: Qui Tutores esse debent, & Statut: Regni Poloniæ tit. Tutor* §. 40. Quæ, ordinem Tutorium præfigendo, sanciunt, quod primo Pater, exinde illi, quos Pater scripserit, & subsequenter fratres, Patrui, Avunculi & reliqui Consangvinei, ac deni-

denique illi, quos Officium dederit, Tutores esse debeant, & quidem cum expressa reservatione, quod Tutores à Patre dati fratribus & omnibus aliis Consangvineis præferendi sint, nec possint tales post mortem patris a fratribus a tutela removeri, & quod ubi aderunt Consangvinei ex parte Patris, isti semper præferendi sint omnibus Consangvineis exparte Matris, nec ulla in his legibus invenitur exceptio non Indigenæ, ubi expressè cautum est, quod soli Tutores ab officio dati debent esse Incolæ & benè possessionati in illo districtu, ubi tutelam gerent; à Tutoribus Consangvineis verò requiritur tantùm per dictas leges ut sint possessionati absque differentia an in Regno vel alibi, exceptis Tutoribus a Patre scriptis, qui secundùm dictas leges tutelam gerere possunt etiamsi non sint Incolæ nec possessionati, cum supponatur Patrem sufficienter prospexisse securitati suorum liberorum; Ex quo patet necessaria consequentia, quodsi Pater Extraneo non Indigenæ tutelam liberorum suorum deferre potest, eandem etiam ipse prose habeat facultatem, cum sit indubitati Iuris, neminem posse in alium transferre id, quod ipsemet non habet. Qvam veritatem ipsimet adversarij tam per particulares & universales literas, qvàm per varia publica Instrumenta repetitis vicibus agnoverunt, dum confessi sunt legitimum Ius naturalis tutelæ & Patriæ potestatis in persona Serñmi Principis Caroli super Serñmam Principem Filiam. Et qvamvis dicti adversarij excogitaverint aliqvam distinctionem & differentiam inter tutelam Bonorum & tutelam Personæ, concedendo istam & negando illam adesse in persona Serñmi Patris, erit tamen semper indisputabile, quod, Etiam cum ista data non concessa distinctione Tutorius personæ, non verò Tutorius Bonorum Consensus ad Virginum nuptias requiratur, Cum personæ & non Bona nubant, & ideò etiam secundùm adversariam distinctionem vel differentiam tutelæ, consensus Serñmi Patris aliorumque proximiorum Consangvineorum, non verò Illmorum Sapieha & Pociey uti respectivè longinquissimorum & planè non conjunctorum ad Sermæ Principis nuptias requirebatur. Immò etiamsi consensus Tutoris Bonorum requireretur, tunc sufficeret Regius Consensus, uti supremi Tutoris, & omnium Tutorum Tutoris. Sed etiam dato non concesso, quod nec externorum naturalium Tutorum, neque Regius Supremus Tutorius Cònsensus sufficeret, non requireretur tamen Consensus Illmorum Sapieharum & Pociey, qvia isti respectivè Sangvine remotissimi & non Consangvinei sunt, ac alios propinqviores agnatos & Cognatos Polonos Indigenas præse habent, veluti Serñmi Principis Iacobi Serñmam Conjugem, Serñmamq; Prolem, innumerosque alios; Et quia Illmi Sapieha & Pociey nullam de Serñmæ Principis Persona, *per Statutum M. D. L. Cap: 5. art. 9. Tutoribus demandatam*, Educationis & Conservationis Curam præstiterunt, sed potius, soli destructioni Bonorum Pupillæ intenti fuerunt, propter quod omnia Jura Illos a tutela omninò excludunt, etiamsi præstarent cautio-

tionem. Accedit ad hæc, quod qvævis Virgo (*vi liberæ optionis, quæ per inveteratissimam consvetudinem in Republica viget*) Sibimet ipsi tutorem quemcunque voluerit, eligere possit, imploratâ licentia Officij. Et Et quod, *per statutum Vladislai Iagellonis Anni 1424.* Cuivis Virgini adultæ, uti erat Nostra Sernma Princeps, permissum sit, sibimet Ipsi de marito providere omnium Consangvineorum & Tutorum consensu posthabito.

Multo minus applicari potest ad Nostrum Casum ab adversariis allegata supradicta illa Lex Statuti M. D. L. *Cap.* 5. *art.* 12. *tit*, *de Vidua, si qvæ rusticano homini & non nobili nuberet.* Imò Quia Nostra Serenissima Princeps non fuit Vidua. 2dò. Quia non nupsit rusticano sed Nobilissimo Principi ex Palatina sicuti ex Iagellonica & Piastea descendenti nupsit, uti sequentia edocent Schemata. Et 3tiò. Quia nupsit cum consensu Patris & omnium proximiorum Consangvineorũ.

Secundum adversarium subterfugium & Argumentum (scilicet quod mulier uti sortem mariti sequens, nubendo Exotico non Indigenæ, omnia sua Iura, possessiones & Actiones in Poloniæ Republica amittat) non solidioribus qvàm præcedens nititur fundamentis; nec leges innumeræ, quas adversarij pro se citant, ullam vel minimam Pro Eis faciunt probationem: non negatur enim vetitum esse extraneis Bona terrestria emere, aut alio illegitimo à Legibus reprobato modo acquirere, & taliter acquisita possidere, sicuti & dignitates, munera, Officia, Tenutas & Bona Regia, nisi ob merita concessa occupare; sed negatur, quod vetitum sit Bona terrestria non Regia per naturalem successionem ad se venientia possidere & detinere; cum talis successio (uti desuper dictum est de Tutelis & de Patria potestate) naturalis Iuris sit a Deo in hominibus impressi, quod nulla Lex absque iniquitate auferre potest, nisi interveniente crimine hæredis aut Successoris, per quod privilegiorum à natura datorum indignus reddatur. Nuptias verò Nobilium Virginum Polonarum cum Nobilibus non Indigenis nulli crimini adscribi in Republica ostenditur per plurima exempla talium nuptiarum in his, sicuti & in præteritis sæculis contractarum; Et per expressa Verba Statuti M.D.L. *Cap.* 5. *art.* 9, *tit. de Virginibus &c.* Ubi sancitum est, licere marito, (NB. nullam hic lex dat exceptionem non indignæ) unâ cum uxore sua adire ejus Bona; Et etiam per innumeras alias leges, quæ uti superfluæ omittuntur, cùm recens adhuc sit & ferè omnibus notoria expressa illa Constitutio, Anni 1717. quæ supra nostrum casum facta fuit, ubi Bona Sermæ piè defunctæ Principis Ludovicæ Carolinæ (quæ sicuti Ejus Filia Serma Princeps Elisabetha Augusta, Principi pro non Indigena reputato nupta fuit) non solùm Illi non ablata, sed etiam Sermæ Principi Ejus Filiæ in successionem decreta fuêre. Quæ Constitutio adversariis silentium imponit.

Quapropter nullo modo dubitatur, quin Respublica justo zelo pro manutenendis suis Constitutionibus, sicuti & justâ indignatione contra tot perturbationes & oppressiones mota, pœnas Legum in præteritos perturbatores & oppressores exequi demandare, rigidioresq; in illos, qui Sermam Principem Ejusque naturales Hæredes in legitima possessione & libera dispositione suorum Bonorum & Actionum in Polonia & Lithvania sitorum in futurum perturbare ausi fuerint, statuere dignetur.

Salvo jure augendi, minuendi, ampliandi, restringendi, revocandi, annihilandi, explicandi &c. Et salvis omnibus ulterioribus exceptionibus, prærogativis, Privilegiis Iuribus ac Beneficiis.

SereLectoralem & Sultzbacien-
ſeminitas Ejus cùm potentiori-
bibus patet.

latinus Rheni

2.
Auguſtus Comes Palatinus Rheni
Dux Sultzbaciæ

riſtianus Auguſtus Comes
Palatinus Rheni, Dux Sultzbaciæ

Eliſabet
vigis nu
bo Ludo
gio Polor
thvaniæ

Tres P
videli
Caſimir
na &
na.

2.
Ludovicus Franciſcus Comes Palatinus Rheni, Elector Trevirenſis

I.
Càrolus Philipp9 Comes Pal: Rheni S: R: I. Archit: & Elector, Bavariæ Iuliæ, Cliviæ & Montium Dux.

Theodorus Comes Palatinus Rheni, Dux Sultzbaciæ.

Eliſabetha Auguſta Comes Palat: Rheni Dux Birziæ Sluciæ, &c:

*Conjuges*

Ioſephus Carolus Comes Palat: Rheni, Hæreditarius Sultzbaciæ Princeps.

Theodorus Ioſephus Carolus Comes Palatinus Rheni, Princeps Hæreditarius Birziæ, Sluciæ &c:

# SCHEMA. I^m

## Sereniſſimæ Neoburgico Palatinæ Domûs, in ELectoralem & Sultzbacienſem Ramum diviſæ, Ex quo proxima Conſangvinitas Ejus cùm potentioribus Chriſtiano Catholicis Principibus patet.

### Philippus Ludovicus Comes Palatinus Rheni Dux Neoburgi.

**I.** Wolffgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni Dux Iuliæ, Cliviæ, & Montium

- Philippus Wilhelmus Comes Pal: Rheni, S: R: I: Archit: & Elector, Bav: Iuliæ, Cliviæ, & Montium Dux.
  - **8.** Eliſabetha Hedvigis nupta Iacobo Ludovico Regio Poloniæ & Lithvaniæ Principi.
    - Tres Principiſſæ videlicet Caſimira, Carolina & Clementina.
  - **7.** Dorothea Sophia nupta Odoardo & poſt Ejus mortem Franciſco Parmæ & Placentiæ Duci
    - Una Princeps nupta Philippo Andegavenſi Hiſpaniarum Poſſeſſori.
  - **6.** Anna Maria nupta Carolo II. Hiſpaniarum Regi.
  - **5.** Maria Sophia nupta Petro Luſitaniæ Regi.
    - Ioannes Luſitaniæ Rex.
  - **4.** Eleonora Magdalena nupta Leopoldo I. Romanorũ Imperatori.
    - Carolus VI. Romanorum Imperator Hiſpaniarũ Rex, &c
  - **3.** Alexander Comes Palatinus Rheni Epiſcopus & Princeps Auguſtæ Vindelicorum.
  - **2.** Ludovicus Franciſcus Comes Palatinus Rheni, Elector Trevirenſis
  - **1.** Carolus Philippus Comes Pal: Rheni S: R: I. Archit: & Elector, Bavariæ Iuliæ, Cliviæ & Montium Dux.
    - Eliſabetha Auguſta Comes Palat: Rheni Dux Birziæ Sluciæ, &c: — *Conjuges* — Ioſephus Carolus Comes Palat: Rheni, Hæreditarius Sultzbaciæ Princeps.
      - Theodorus Ioſephus Carolus Comes Palatinus Rheni, Princeps Hæreditarius Birziæ, Sluciæ &c:

**2.** Auguſtus Comes Palatinus Rheni Dux Sultzbaciæ

- Chriſtianus Auguſtus Comes Palatinus Rheni, Dux Sultzbaciæ
  - Theodorus Comes Palatinus Rheni, Dux Sultzbaciæ.
    - Ioſephus Carolus Comes Palat: Rheni, Hæreditarius Sultzbaciæ Princeps.

# SCHEMA II.

PEr quod demonstratur, Serńmam Principem Elisabetham Augustam & Serńmum Principem Iosephum Carolum Ejus Conjugem ab una eademque Palatina Domo descendere, & Utrosque a Jagellone Rege Poloniæ in Linea recta per Abaviam originem habere.

IAGELLO Rex Poloniæ & M. D. Læ. — Hedvigis Regni Pol: Hæres Ex Familia Piastea.

*CASIMIRUS III. Rex Poloniæ.*

*VLADISLAUS III. Hung. & Boh. Rex.*

*ANNA nupta FERDINANDO. I. Imp.*

*MARIA nupta WILHELMO Duci Iul. Cl. & Mont.*

*ANNA nupta PHILIP. Lud. C. Pal. Rh. D. Neob.*

| | | |
|---|---|---|
| *WOLFG. Vilh. Com. Pal. Rh. Dux Neob. Iul. Cl. & Mont.* | | *AUGUSTUS Com. Pal. Rh. In Sultzbach.* |
| *PHILIP. VILH. Elect Pal.* | | *CHRIST. Aug. Com. Pal. Rh.* |
| *CAROLUS PHILIPPUS Modernus Elector Palatinus.* | | *THEODORUS Com. Pal. Rh.* |
| *ELISABETHA AUGUSTA Princ: Electoralis Palatina* | Conjuges. | *IOSEPHUS CAROLVS Com. Pal. Rh. Prin. Hæreditarius Sultzbácensis* |

*CAROLVS THEODORVS IOSEPHVS. Com. Pal. Rh. Princeps Hæreditarius in Birzen, Dubinki, Słuck & Kopil.*

C Per

# SCHEMA III.

PEr quod demonstratur alia descendentia Sultzbaciæ Principis & Sernmæ Ejus Conjugis a Iagellonica & Piastea Familia, per Christinam Landgraviam Hassiæ Trittavam.

IAGELLO. M.D.Læ. Hedvigis Hæres Polo;
Rex Polon: 1386. Corona: Eius Regi: 1384.

*KASIMIRUS III. Rex Polo: & M. D. Læ.*

*BARBARA nupta FEORGIO D. Sax.*

*CHRISTINA nupta PHILIPPO Ladrg- Hassiæ.*

*GEORGIUS Lang Hassiæ.* — *ANNA nupta WOLFGANGO Duci Neob, & Bipont.*

*LUDOVICUS V. Landg. Hassiæ* — *PHILIP. LUD: D. Neob:*

*GEORGIUS II. Landg. Hassiæ.* — *WOLFG. W. D. Neob- Iul. Cl. & Mons.* — *AUGUSTUS D. Sultzbacensis.*

*ELISABET Amalia nupta:* — *PHILIP. W. El: Palat* — *CHRIST: AUG. Dux Sultzbacen:*

*CAROLUS PHILIPPUS Modernus Elect. Pal.* — *THEODORUS D. Sultzbacensis.*

*ELISABETHA AUGUSTA nupta* — *IOSEPHO CAROLO. C. Pal. Rh. Pr. Hæred. Sultzbacen.*

# SCHEMA IV.

Qvod demonſtrat deſcendentiam Sernmæ Principis Eliſabethæ Auguſtæ per Lineam rectam ex Parte Patris a Ziemovito Duce Maſoviæ ex Familia Piaſtea, & ab Alexandra Iagellonis Regis Poloniæ Sorore per Magdalenam Bavariæ, Proavam.

**Ziemovitus Dux Maſoviæ ex Familia Piaſtea, obijt Anno 1426. Alexandra Iagellonis Poloniæ Regis Soror Conjuges,**

*ZIMBURGIs nupta. ERNESTO Archiduci Auſtriæ.*

*FRIDERICUS. III. Rom: Imp:*

*MAXIMILIANUS I. Rom. Imper:*

*PHILIPPUS. I. Rex Hiſpaniæ.*

*FERDINANDUS. I. Rom: Imper.*

*ANNA AUSTRIACA nupta ALBERTO Duci Bavar:*

*WILHELMUS. V. Dux Bav:*

*MAGDALENA Bav. nupta WOLFG. VILH. Dci: Neo:*

*PHILIPPUS VILHELM9. Ele: Pal.*

*CAROLUS PHILIPPUS modern9. Elect: Palatin9.*

*ELISABETHA AUGUSTA*
*Princeps Electoralis Palatina.*

# SCHEMA V.

Quo demonstratur descendentia Sernmi Principis Iosephi Caroli Hæreditarii Ducis de Sultzbach, a Iagellone Rege Poloniæ per Sernmam Ejus Matrem.

**Iagello Rex Poloniæ M: D: Læ:** — **Hedvigis Hæres & Reginá Pol:**

*BARBARA nupta GEORGIO D: Sax:*

*CHRISTINA nupta PHILIPPO Hassiæ Landg:*

*Wilhelmus IV. Landg: Hassiæ*

*MAURITIUS Lang: Hassiæ*

*ERNESTUS Land: Hassiæ.*

*WILHELMUS Land: Hassiæ in Rotenburg.*

*MARIA ELEONORA AMALIA nupta THEODORO Com: Pal: Rh: in Sultzbach.*

*IOSEPHUS CAROLUS Com: Pal: Rheni Pr Hær: Sultzbacensis*

Per

# SCHEMA VI.

PEr quod demonſtratur deſcendentia Serńmi. Principis Hæreditarij de Sultzbach & Sereńmæ Eius Coniugis a familia Piaſtea & Iagellonica per Ferdinandum I. Romanorum Imperatorem & Mariam Auſtriacam Eorum Attavam.

| | |
|---|---|
| Ziemowitꝰ Dux Maſcœ ex Familia Piaſtea· | Alexandra Iagello: Polo. Regis. Soror. |

*ZIMBVRGIS nupta ERNESTO Archid: Auſt:*

*FRIDERICVS III. Rom: Imp:*

*MAXIMILIANVS I. Rom: Imp:*

*PHILIPPVS I. Hiſp: Rex.*

*FERDINANDVS I. Rom: Imp:*

*MARIA AVStriaca nupta Wilhelmo D: Iul: Cl: & Mont:*

*ANNA Clivenſis nupta Philip Lud: Cö; P: R: D: Neob:*

| | |
|---|---|
| *WOLFG WILH: Com. Pal. D. Neob. Iul. Cl: & Mont.* | *AVGVSTVS Com. Pal. Rh· Dux Sultzbac.* |
| *PHILIP. WILH. Elec, Pal.* | *CHRIST. Aug. Com. Pal. Rh.* |
| *CAROLVS PHILIPPVS modernus Elect. Palat.* | *THEODORVS Com. Pal. Rh* |
| *ELISABETHA AVGVSTA Princeps Elect: Palatina* | *IOSEPHVS CAROLVS C P: Rh: Princ: Hæred: Sultzb* |